

poenitentiis misericorditer in domino relaxamus, perpetuis temporibus duraturis. In quorum fidem et testimonium sigillum nostrum praesentibus est appensum. Datum anno domini millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo quinta feria post festum purificationis virginis gloriosissimae Mariae.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Siegel des Bischofs.

No. 273. 1468. 2. Mai.

*Cardinal Philipp ertheilt dem Probst des Thomasklosters die erbetene Erlaubniss, dass bei den Donnerstags in der Thomas- und der Nicolaikirche stattfindenden Processionen die geweihte Hostie in einer durchsichtigen Monstranz getragen werde.*

Philippus miseratione divina tituli sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis dilecto in Christo praeposito monasterii sancti Thomae Lipczensis per praepositum soliti gubernari ordinis sancti Augustini Merseburgensis diocesis in praesentiarum existenti salutem in domino. Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod cum ad laudem domini nostri Jhesu Christi et ipsius corporis de laudabili consuetudine dudum observatum existit, ut dominicum corpus singulo die Jovis successive annis continuis in dicto monasterio sancti Thomae ac ecclesia sancti Nicolai praefati opidi Lipczk, quae ad ipsum monasterium filialis existit, processionaliter et solempniter defertur ac ibidem cum missis et aliis divinis officiis prout debitum est veneratur, ut autem in populo augeatur devotio cultusque divinus crescat et eo libentius Christifideles ad huiusmodi concurrant devote acturi gratias creatori nostro supplicari fecisti humiliter, ut tibi et successoribus tuis in dicto monasterio et ecclesia sancti Nicolai in processionibus huiusmodi corpus Christi reverenter in uno vase argenteo circumdato berillo seu cristallo mundo, ut a circumstantibus decerni et videri possit atque ardentius adorari, deferri processionaliter prout moris est liceat. Nos igitur attendentes, quod in his quae in divini cultus augmentum pertinent favorabiles esse debemus et benigni, auctoritate domini papae cuius poenitentiariae curam gerimus et de eius speciali mandato super hoc vivae vocis oraculo nobis facto tibi et dictis successoribus tuis alio non obstante canonico tenore praesentium licentiam concedimus et etiam facultatem ac vobiscum super praemissis petitis misericorditer dispensamus, constitutionibus provincialibus et synodalibus in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Datum Romae apud sanctum Marcum sub sigillo officii poenitentiariae II. Non. Maii pontificatus domini Pauli papae II. anno quarto.

Nach dem Registrum copiarum fol. 211 im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden.

No. 274. (1468).

*Dr. Johann's Scheibe übersendet den durch seine Vermittlung ausgewirkten Indulgenzbrief des Cardinals Philipp (No. 273).*

Venerabilis pater et domine venerande. Mitto paternitati vestrae has litteras, de quibus novissime in Knuthayn feci mentionem, quas in augmentum devotionis in